18.

DE
SARCOMATE TUMORIBUSQUE RECIDIVIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS CHIRURGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALBERTINA LITERARUM FACULTATE,

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXXI M. JULII ANNI MDCCCLX

H. XII. L. C.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JULIUS RIEMER,

BORUSSUS OCCIDENTALIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

ADALBERT WEISS, CAND. MED.

GUSTAV BORGIEN, CAND. MED.

REGIMONTI PR.

TYPIS ACADEMICIS DALKOWSKIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO BENEVOLENTISSIMO

PROF. DR. WAGNER

DIRECTORI CLINICI CHIRURGICI, CONSILII MEDICINALIS REGII COLLEGAE

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

GRATI ANIMI TESTANDI CAUSA

HASCE

STUDIORUM ACADEMICORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

Quum gratiosus medicorum ordo mihi concesserit, ut in me dissertationem scribentem eamque publice defendentem, summi honores medicinae et chirurgiae conferantur, praeceptore dilectissimo, professore illustrissimo Wagner probante aegrotoque spectabili concedenti, hunc casum describere audeo, cujus curam in clinico nostro chirurgico per tria semestria in tribus supremis tumoribus duce prof. ill. Wagner suscepi.

I.

Friedericus Dorsch, pararius, undequinquaginta annos nunc natus, parvo quidem corpore, sed robusto et valido, a prima infantia usus erat bona et integra valetudine. Duodecimum annum agens indurationem in sinistra scapula latitudine fere digitali sentiebat. Quam quidem tamquam ceteram cutem potuisse loco moveri neque elatam fuisse aegrotus dicit nequaquam autem sibi incommodam. Haec induratio plane immutata manebat ad tricesimum aetatis annum ejus. Ab hoc autem tempore crescere incipiebat et quatuor fere mensibus post ovi gallinacei magni-

tudinem aequaverat. Etiam vero tum tumor prorsus loco moveri poterat ac circumscriptus ad partes infra et a latere jacentes omninoque dolore vacuus permanebat. Deinde color ceruleus ac badius apparebat superficialis cutis. Exilis suppuratio fiebat, quae continenter cortices atque crustas efficiebat. Vero tamen dolore aegrotus vacabat, sed modo pressionem quandam sentiebat, omnino propriae notae apparebant benigni tumoris tegentes partes perforantis; quae perforatio tanquam attritu vestimenti accelerata videbatur, ut ea maxime re sensus injucundus et incommodus efficeretur. Quare commotus aegrotus medicum suum, Dr. doctissimum Kleeberg consuluit, qui Dr. doctissimo Münchenberg adjutore exstirpationem persecutus est, quae perfacile fiebat. Post operationem aegrotus per quinque dies domi remanere coactus erat, exindeque negotia sua obire potuit, quum vulneris sanatio plus quam duos menses duraret cum multis granulationibus ungento basilico adhibito eveniret, cicatrice parva ac bona remanente. Quod ad tumoris qualitatem attinet, idem talis, quales posteriores cognoscemus, videtur fuisse; aegrotus enim eum fulvam et duram massam, pingui substantia, paniculo certe adiposo, circumcinctum fuisse dicit, eumque vituli cartilagini quodammodo similem.

II.

Attamen sex mensibus post in cicatrice infima alter tumor ita ut parvus nodus apparuit, qui celerius crescebat, duobusque mensibus magnitudinem crassi pugni virilis assecutus erat, ceterum autem eadem symptomata habebat, quae primo tumori fuerant. Nam omnino quoque circumscriptus erat, facileque et in altitudinem et in latus loco

moveri poterat, praeterea neque sponte neque pressu dolorem efficiens. Aeque hujus alterius tumoris progressus idem erat, qui primi fuerat. Superficies posterius colorem quoque lividum ac badium accipiebat, pus incipiebat exire et cortices fiebant. Hac tumoris reditione in medico curante suspicio mota est, eum non esse funditus exstirpatum, itaque alteram exstirpationem constituit, quae ibidem facile ac bene absolvebatur. Vulneris sanatio tunc diutius durabat, plus quidem tribus mensibus; luxirientibus tamen granulationibus et unguento basilico adhibito firma ac bona cicatrix consecuta est.

III.

Ita aegrotus malo levatus, bona valetudine utebatur, quoad uno anno interjecto iterum in cicatrice vetere infima parvus nodulus censpicuus factus est qui celerius crescens duobus mensibus amplitudinem catilli habebat et cutis superficiei duobus vel tribus digitis eminebat. Qui tumor jam plus in altum patebat, plane tamen circumscriptus erat, facileque loco poterat moveri. Superficies non erat levis ut superiorum, sed tuberosae eminentiae, quae ab aegroto significantur funginae, videbantur. Tunc quoque mox superior progressus inibat, tumor erumpebatur et pus multum incipiebat exire sed neque cortices neque crustae efficiebantur. Paulo post etiam sanguinis profusiones incedebant, quamvis nondum periculosae. Aegrotus vehementissime optans, ut malo suo exsolveretur, subjecit se tertiae operationi, quae non tam facile conficiebatur quam superiores. Tumor enim magis in altum patebat parteque spinae scapulae parvae coaluerat, ut haec ossis pars deferenda esset. Qua in exsecatione sanguinis

profluvium ut ait aeger, non magnum fuit. Tumor fere tres libras pondo valuit; praecipue ejusdem generis quam superiores colore magis sufflavo et subcaeruleo, stridens sub cultro. Valetudo bona, qualis fuerat, universe permanebat, appetitus et assimilatio erat impedita, obstructione alvi nihilo minus praesente. Therapia post operationem tum quoque principio constitit in glacie applicata, posterius in unguentis excitantibus, sed ad cicatricem plane pervenit vulnus demum plus quatuor mensibus postea.

IV.

Attamen integra valetudo modo duodeviginti vel viginti quatuor menses duravit, ad annum MDCCCLII, quum malum rursus vetere genere ut parvus nodus circumscriptus apparuit. Mox autem proxime ad hunc nodum complures alii ejusdem generis nascebantur, circumscripti; ii erant et loco moveri poterant fungini in altitudinem crescentes. Postquam ii per duos fere annos tarde longius adoleverant, aegrotus moleste ferens quod therapia irrita fuerat, opinionem habebat, mali sui causam esse internam et aegrotationem universam. Quod quidem etiam medici cujusdam sententia ei confirmabatur. Quam opinionem habens neque operationi amplius confidens ad homoeopathiam sese convertit, quae quidem promisit, eum internis remediis ex malo suo exsolutum iri, fore enim ut nova excrescentia delaberetur. Haec curatio quae ad tres annos durabat et in Acido silicio et Kalio sulphurato adhibendo constitisse mihi dictum est, ne prospere quidem tanquam promissum erat, evenit, tumor nequaquam decidit; ea tantum effectum esse, ut nodi tardius crescerent, aegrotus opina-

tur. Quum antem interea rursus perforationis symptomata in maximo nodo conspicua fierent et pus iret et iterum ac saepius sanguis proflueret, etiam ab homoeopathico descensum est ad cultrum admovendum ut adjumentum remediorum internorum. Crassum enim filum rubrum maximo nodo ligatura impositum est, quod intra sex hebdomades firme et firme magis adstringebatur, Quum tamen post id tempus nodus nondum decasurus fuit, sub ligatura sectione simplice in cutis planitie amputatum est. Sanginis profluvium e vestigio cohibitum est manu depressa et textis areneis impositis. Pars desecata in basi, crassitudine pollicis fuit et in superficie leviter expansa. Quum etiam haec therapia frustra esset, tunc demum omnino indignabundus malum in eventum suum commisit neque ab ullo medico se curari passus est, sed octo mensibus interpositis in mense Januario et Februario anni MDCCCLVIII singuli nodi rapidius crescere incipiebant et confluebant, attamen ita ut nodi prius singulatim stantes etiam tum quidem tamquam tubera cernerentur. Totus tumor et in planitiem et in altitudinem crescebat, speciem gibbri praebens, ut aeger Kyphosi affectus videretur. Mox etiam tumor perrumpebatur, suppuratio major fiebat, sanguis multus et multus magis exfluebat. Contra quae symptomata aeger ipse sibi auxilium parare instituit, quum loca, e quibus pus effundebatur, linteolis carptis alligaret et sanguinis profluvia boleto igniario vel collodia illito et denique hoc remedio jam non sufficiente, linteolis carptis Liquore ferri sesquichlorati satiatis sistebat. Simul tumor odorem putidum ac foedum praestabat, qui ab aegro cum odore, quem »Leuchtgas« quod dicitur, habet, comparatur. Praeterea aeger per tres menses supremos continenter excitatus febri

quadam vexabatur, pulsa perpetuo citato, febrisque ardore frigori per vices subeunte. Quare commotus aegrotus denuo operationi subjicere se animum induxit et in clinico nostro chirurgico, cui praeest prof. ill. Wagner, auxilium quaesivit. —

Invenimus aegrum in hoc statu: in sinistra scapula est tumor magnitudine parvi capitis virilis, qui ad dextram satis circumscriptus loco moveri potest, ad summum atque imum et ad sinistram diffusum finem habet. Ad dextram sub cute et tela subcutanea est, quae ibi prorsus loco moveri possunt. Ad humerum summum est magna cicatrix, in quam tumor patet, cuique videtur coaluisse ad sinistram et imum in musculos se subducit neque ibi fines ejus bene dicerni possunt; ad sinistram altissime in cavum se subducit axillare, quamquam conjici potest, eum apud arteriam axillarem finitum esse, quam quidem libere micare sentias. Etiam magnus plexus brachialis tumore vacare videtur, quum brachium et sensu praeditum et mobile tantum sit, quantum non turbetur magnitudine ipsa, denuo neoplasmatis immani, quamvis haec causa non sufficiat, quoniam nervi quidem etiam circumdati, sed in functione sua non turbati sint. Venae quoque axillares sunt liberae nam nulla consecutio earum perturbationis est impeditae circulationis. Tumoris consistentia maxime ad columnam vertebrarum duricina est, ad brachium autem in aliis partibus elastica in aliis mollis ut farina. Superficies omnino tuberosa in altitudine epidermi nudata; planities, e quibus pus effunditur, ibi sunt, quae et sponte et maxime fascia abducta, vel tumore spongia attincto facile sanguinem effundunt. Cutis has partes circumdans cum tumore con-

juncta, livida et venis dilatatis perfusa est. Dolores et qui sponte et qui pressu aliquo creantur, non valde adsunt. Valetudo aegroti omnino floret, excepto illo statu febrili, quem supra dixi, appetitus adest, assimilatio non interpellatur. Quamquam et suppuratio et crebra sanguinis profluvia adsunt, aegrotus tamen corpulentia quadam et specie satis valida utitur.

In diagnosi nihil nisi sarcoma aut carcinoma probari potuit, quorum prius tam paucis symptomatibus adjuvebatur, ut omitti deberet. Iteratio tumoris, emersus ex singulis tuberibus, eorum confluxus, superficies tuberosa denique rapidum incrementum sarcoma quidem probare possent, sed omnia haec symptomata imprimis fungum medullarem designant. Conjunctio cum vicinis partibus simulari quidem potest processibus, quos sarcoma in eas inmittit, quamquam enim conjunctio cutis, suppuratio et haemorrhagiae et in benigno tumore apparent, tamen in his denique non tam rapide fiunt, sed potius et hae omnes et amplificatio tot recentium venarum cutanearum fungo medullari propriae sunt. Consistentia vero et magnitudo ad discernendum tumorem nihil afferre possunt, nam illae proprietates, quas noster tumor praestitit, et sarcomate et carcinomate satis explicantur. Quamquam ita ad probandum fungum medullarem adducti eramus, tamen modus explicationis constitui non potuit, nam an priores tumores scirrhi fuerint i. e. an scirrhos iteratos fungus medullaris secutus sit, quod denique rapide creverit, an prima iteratio fuerit benigna et e tumore benigno carcinoma exstiterit, constitui non potuit, quamquam hoc verisimilius erat. —

Prognosis post hanc diagnosin valde mala dicenda erat, quod in therapia adhibenda respiciendum erat. Experientia, fungum medullarem semel exstirpatum brevi tempore se iterare eoque brevius crescere, tum mortis periculum, quod ex operatione vasibus et plexibus nervorum aut comprehensis aut laesis exsistere potuit, nos commovit, ut remedia spiritus prorogandi adhiberimus, dummodo vires validae essent, et ut tum denique admoveremus scalpellum, si hae profusa suppuratione et iteratis haemorrhagiis exhauriri coepissent.

Aegrotus vestis tumori accommodare, ne his tumor insultaretur, tum adversus foetorem remedia desinficienta et adversus sanguinis profluvia remedia adstringentia adhicere jussus est, sed maximum momentum in viribus et augendis et conservandis ponendum erat. Post octo dies tamen aegrotus reversus petivit, ut tumor removeretur propter ejus gravitatem et magnitudinem, quibus motus brachii impediebatur, quamquam ipsi perspicuam crat, tumori remoto facillime mortem afferri posse. Praeterea tempus, quod antea ad operationam aptum diximus, aderat, quum plures venissent haemorhagiae, quae iteratae aegroti vitae finem certe fecissent; qua de causa imprimis operatio probata et quamquam facillime fieri potuisset, ut tumor non omnino extirparetur, die XII mensis Maji MDCCCLVIII ita instituta est:

Duabus semilunaribus cultri sectionibus tumor primum circumcisus, deinde partes vicinae incisae, tum partes columnae vertebrarum adjacentes et mobiles separatae et denique ad cavum axillare diligentissimis et accuratissimis secationibus tumor cum parte quadem et musculi deltoidei

et musculi latissimi dorsi omnino exsecatus est, ubi videri potuit, sane usque ad arteriam axillarem se pertinere; et, nonnullis vulneris partibus quae suspectam habebant speciem, cultro et forfice remotis (nam haemorrhagia operatione effecta non erat magna et sex fere arteriae parvae subligatae sunt), totum vulnus linteolis carptis impletum glaciisque adhibita est.

Inspectio per micoscopium docuit, tumorem esse fungum medullarem celeriter se explicantem, tuberosae superficiei, in secatione album paene flavum, variae consistentiae, nonnullis pertibus durum et sub cultro stridentem, nonnullis molliorem, gelationosum et partibus recentioribus canum paene rufum, ubi stroma parvum erat et ex novis immaturis telis cellulosis consistebat cum multis cellulis sane carcinomatosis. In nodis durioribus autem multum stroma cum paucis cellulis videbatur. Partis musculorum adjacentes, quae operatione exsecabantur, carcinomatose infiltratae erant, et eae partes, quae Primitiv-Fibrillen dicuntur, cellulas carcinomatosas continebant, aliae partes adipose degeneratae erant. Eodem modo nervi, qui pauci tantum aderant, ad adiposam degenerationem plane pervenerant.

Statim post operationem aegrotus mitem ardorem in vulnere, lenes capitis dolores, sensit et nauseam, quae mox excessit et verisimiltter chloroformio antea adhibito effecta erat. —

Die XIII mens. Maji. Per noctem aegrotus bene quieverat, postridie satis bene se habuit, quamquam febri

affectus fuit, ictus pulsus 110 erant, praeterea siti satis vehementer et capitis doloribus vexabatur, appetitus aberat, sed aderat obstructio alvi.

Die XIV m. Maji. Aegrotus noctu bene dormivit, febris cedere coepit, ictus pulsus 106, sitis et dolores cacapitis minores, quam heri; appetitus incipit, quamquam obstructio alvi etiam adest. Fascia nondum renovata est partes vulneri adjacentes compressione non dolent.

Die XV m. Maji. Pulsus ictus 100. Caput doloribus caret, sitis abest. In partibus vulneri adjacentibus dolor vehemens exsistit, quamquam inflammatio ibi non erat. Glacies aegroto jucundissima est, quare illa adhiberi pergitur. In fascia renovanda pus satis bonum et multum apparuit et vulneris species bona laudabilisque fuit. Obstructio alvi quum etiam adsit, clysma jubetur.

Die XVI m. Maji. Symptomata febrilia omnino fere desierunt. Dolor in vulnere, imprimis in nonnullis partibus maximus erat‘ ut fasciae et aplicatione et obductione magnum dolorem capiat.

A die XVI usque ad XX in vulnere parvae granulationes cum suppuratione laudabili videntur. Dolor in fasciae applicatione remansit, febris abest.

Die XX m. Maji. In tota vulneris superficie particulus mortuus jam non videtur, granulntiones frequentes procedunt, dolor in vulnere crescit, quam ob rem vulnus linteolis carptis et decocto fol. Hyoscyami immersis impletum est.

Die XXII m. Maji. Dolor paullatim cedere coepit, sed in applicatione ipsa linteoloram carptaram in decocto illo immersourm aegrotus vehementi ardore se vexari queritur. Valetudo omnino bona est; aegrotus jam lecto surrexerat et breve tempus in conclavi ambulaverat.

Die XXIV m. Maji. Dolor ex vulnere plane cessit. Exceptis quibusdam partibus, una prope superiorum marginem, altera prope cavum axillare, alia in medio vulnere, ubi granulationes speciem luxurientem habent et satis alte supra vulneris planitiem imminent, universa superficies firmas granulationes praebet et in margine cicatrix existere coepit.

Die XXXI m. Maji. Sanatio vulneris constanter processit; in toto vulneris margine cicatrix latitudine fere unius lineae videtur. Adhibito ungento ex argento nitrico et balsamo peruviano parato, quo die XXVIII primum usi eramus, granulationes luxurientes ad mediam et ad cavum axillare spectantes minuuntur, sed firmioribus granulationibus cedunt et ad humerum summum tantum remanent.

Die I m. Junii. Quum et universa valetudo et species vulneris optima sit et sanatio jucunde procedat, aegroto clinico exire sanationemque domi continuare conceditur. Vulnus sine interpellatione constanter ad cicatricem pervenit, sed multo celerius, quam post priores operationes, ut duobus mensibus intermissis totum vulnus cicatrice bona contecta esset.

V.

Uno anno praeterito aegrotus mense Maji MDCCCLVIIII iterum tumore affectus in clinico se praestitit, qui ut operatione removeretur, petivit. Post praecedentem operationem mox omnino recreatus, totum per annum optima valetudine usus erat, dum ante quinque fere hebdomades in cicatrice parvum nodum sentiret, qui celeriter ad praesentem magnitudinem processit. Pro pristino tumore hanc magnam, planam et radiatam cicatricem invenimus, in cujus extrema parte iterum tumor apparuit, qui usque ad sanas partes posterioris internae planitiei humeri sinistri pertinebat, ut partim ab extremo cicatricis fine, partim sana cuti tegeretur, quae telae facile a loco moveri poterant. Tumor magnitudinem magni ovi anserini habet, ubique comprehendi et in partibus infra sitis plane moveri potest. Tumor superficiem paullum iniquam et duram consistentiam habet, neque vero dolores efficit. Glandulae lymphaticae adjacentes nunc non magis tumuerunt, quam in prioribus tumoribus. Universa valetudo in omnibus partibus bona est; aegrotus non modo non cachexia laborat, sed etiam firmam et validam speciem prae se fert et corpulentia satis magna utitur. Indigestio prorsus bona, appetitus vehemens, sed alvi dejectio propter veteres haemorrhoides inconstans et difficilis est.

Quod ad diagnosin pertinet, ex omnibus symptomatibus hujus tumoris alia sententia probanda erat, quam unum annum antea habuimus. Tumor postremo exstirpatus ex symptomatibus et inspectionibus microscopii fungus medullaris habendus erat, sed si consideramus, post primum

initium morbi triginta sex annos praeteriisse, eundem quater sine ulla cachexia semper certo loco rediisse et praesentem tumorem symptomata benigna ostendisse, quamquam prior tumor omnia symptomata maligna habuerat, errorem in priori diagnosi concedamus nocesse est. Fieri quidem posset, ut diagnosin nostram supra commemoratam si servamus, casum nostrum observationibus illis insereremus, ubi malignis tumoribus expulsis recidivi et brevi sequentes tumores semper benignos se praebuerant usque eo, quoad post complures operationes inclinatio ad tumores procreandos eo loco plane evanuit. Cui tamen rei repugnat, initium tumoris hic haud dubie benignum fuisse fungumque medullarem tantae magnitudinis benigna quaedam neoplasmata secutura esse vix credi posse. Paulo verisimilius censent, qui confirmant, ex tumore initio benigne se praestante paulo post carcinoma quam rapidissime crescens exstitisse. Sed tale quoque carcinoma nullo modo aliter ac genuinum se gessisset, neque tantam magnitudinem assecutum quumque sanguinis profusiones tam amplae essent, locum suum tenuisset, imo vero vicinas glandulas lymphaticas vasaque corripuisset. Tumorem igitur quem supra diximus, sarcoma habendum esse jam luce clarius est, praesertim quum symptomata ejus, ut diagnosis nostra docet, sarcomate explicari possint, quodsi spectas in tribus formis fibrosa, cellulosa, gelatinosa, quae vix ut sensibus percipiaris, inter se vertuntur atque eodem tempore existere possunt. Accedit quod ut continuus tumor purissime exstirpabatur neque tamen sic coaluerat, ut fungus medullaris tali rerum statu haud dubie oportuit. De diagnosi autem tumoris qualis nunc sit, aptissime colligis ex recidivo morbi impetu reliquisque symptomatibus, illam esse

sarcoma. Inter ceteros benignos tumores fortasse fibrois quoque putari potuit. Haec tamen majorem duritiam ostenderet neque si pure exstirpata erat, quater rediisset nec tam celeriter saccrevisset. Secundum hanc diagnosin et prognosis multo melior quidem fuit, neque vero plane bona, nam facile tumor recidivus in partes penetrare potuit, e quibus exsecatio fieri non potuisset et tam perforatione et suppuratione mortem attulisset. Quod quum consideratum esset, exstirpatio concludebatur et die XI mens. Maji MDCCCLVIIII cum scalpello, chloroformio adhibito, ita facta est:

Primum cutis supra tumorem secatione in longitudinem producta disjungitur, tum margines in utramque partem desecantur et major pars tumoris, quae circumcisa in capsula telae cellulosae jacet, exsecatur. Digitus in vulnus penetrans altius in substantia musculi tricipis inclusos et a tumore nunc exstirpato omnino disjunctos duros nodulos ejusdem qualitatis invenit, qui etiam statim scalpello et forfice removebantur. Quo facto altum vulnus operatione effectum linteolis carptis impletum, involutione simplici detectum et tum glacies adhibita est.

Perscrutatio tumoris diagnosin veri sarcomatis accurate probavit, nam in secatione color fulvus, consistentia glandulosa et linea circularis sanguinis extravasati apparent. Microscopio docemur, tumorem consistere tantum ex multis dense confertis et in longitudinem ad series formatis magnis fusosimilibus cellulis cum membrana, quae leviter deleri potest et nucleis magna resistentia affectis. Stroma ex telis cellulosis consistens non adest. Sed in capsula, quae

majorem tumoris partem circumdedit, cellulae illae fusosimiles, quas supra dixi, non confertae, sed dispersae et in reticulum fibrillosum inclusae apparent; aderantque etiam praeter cellulas fusosimiles aliae rotundae et ovales, ut haec neoplasmatis pars elementa sarcomatis multo minus exquisite praestaret. Fibrae musculorum partum tricipis exsecatorum degeneratae et sacculi eorum nucleis completi erant, qui adhibito acido acetico plane procedebant.

Die XII m. Maji. Aegrotus, operatione perfecta, statim nausea et capitis doloribus vexabatur, quae et hodie mediocriter aderant. Noctu aegrotus bene quieverat et excepto pulsu celerato (ictus 90) symptomata febrilia non videntur. Vulnus ipsum quidem non dolores, sed tamen, glacie remota, magnum ardorem procreavit.

Die XIII m. Maji. Aegrotus optime se habet, quamquam pulsus celeratus ut heri est. Fascia et illa pars linteolorum carptorum, quae facile solvi poterat, removentur. Vulneris margines parvum dolorem praebent. Pro glacie primum fomentationes tepidae, tum cataplasmata adhibentur, ut semper fieri solet.

Die XIV m. Maji. Linteola carpta hodie omnino remota pure plane perfusa sunt. Vulnus infuso florum Chammomillarum elavatur, qua re plurimae partes necroticae removentur et vulnus optimam speciem accipit. A die XIV usque ad diem XX ubique firmae granulationes procedunt, vulnus in altitudinem compleri coepit et nulla in parte carnem luxurientem ostendit. Res quum ita esset aegroto conceditur, clinico exire, ut sanatio domi conti-

nuetur, quae ibi sine omnibus interpellationibus celerius quam antea processit, ut die XVI Junii quum aegrotus rursus in clinico se praestaret, pro vulnere operatione effecto angustam, aequam et bonam cicatricem conspiceremus.

VI.

Ita aegrotus nonnullos menses, sed breve tantum tempus a malo liberatus erat; nam jam mense Novembri MDCCCLVIIII sextum cognovit nodum se explicantem, qui a prioribus nullo modo differebat et qui rursus praecipue extremo tempore celeriter succrevit. Qui tumor ne quarti magnitudinem assequeretur, aegrotus mense Januario MDCCCLX rursus in clinicum chirurgicum nostrum venit, ubi malo curaretur.

Ibi invenimus plane localem tumorem recidivum. In extrema parte veteris magnae radiataeque cicatricis rursus adspiciebatur tumor usque ad posteriorem circuitum summae partis sinistri humeri pertinens magnitudine magni pugni virilis, supra quem et cicatrix et cutis normalis humeri valde mobilis erat. Tumor ipse praebebat iniquam tuberosamque superficiem et elasticam consistentiam, plane comprehendi et adversus partes infra jacentes loco moveri potest. Glandulae lymphaticae nusquam tument. Praeterea in superiore cicatricis parte prope spinam scapulae et in ipsa cicatrice parvus durusque nodulus adspiciebatur, qui et ipse moveri potuit et in cutem et in partes infra jacentes. Omnino valetudo aegroti placet, appetitus assimilatioque bene se habent. Aegrotus medici animum attendit in

rem, quam post priores operationes observasse se contendit, cujus tamen nondum mentionem fecerat. Dicit autem, primis post operationem diebus crebro nonnullas varices haemorrhoidales circum anum apparuisse, easdem sponte evanuisse. Aegrotus rursus opinatur, morbi causam esse internam aegrotationemque universam, censetque has in recto intestino varices tumores recidivos aut effecisse aut auxisse.

Haec sarcomatis diagnosis tumore recidivo probata est, qui non minus omnia symptomata sarcomatis, i. e. benigni tumoris praebebat. Deinde quod totus hic tumor recidivus certo quodam loco tantum exstitit semperque modo exteriorem cicatricem et partem humeri dolore affecit, omnis malignitas rejicienda erat. Aegrotatio universalis, quam dicit aegrotus, modo ficta erat, hoc enim rerum statu aliis quoque corporis locis tumores exstitissent aut certe perturbatis appetitu, assimilatione similibusque se ostendissent. Varices autem haemorrhoidales, quibus perturbationes venae portae effici nemo negabit, sarcoma in humero vix provocabunt. In tanta tamen tumoris benignitate prognosis nullo modo bona nominari potuit; usque eo enim sequens quisque tumor recidivus in interiores partes se propagaverat et in sequenti quoque exstirpatio difficilior fuerat. Si enim, ut ex rerum ordine, qui ad id tempus fuit, colligi licuit, complures etiam tumores exstitissent, facile evenire potuisset, ut talibus corporis locis evaderent, ubi exstirpatio fieri non potuit. Amputatione enim tumores recidivi funditus sanare non licuit, quum tumor semper nimis longe aut in humerum aut in dorsum se pertineret, nihil fieri potuit, nisi ut musculi, si rursus morbo affi-

cerentur, exsecarentur. Sanatio igitur tum quoque nihil erat, nisi exstirpatio, quae hoc modo facta est:

Sectione quae longitudinem tumoris adaequaret, tumor ipse nudatus, in omnes partes praeparatur cultroque ac forfice exstirpatur. Penitus in vulnere, in fibris musculi deltoidei implicati duo parvuli ac duriusculi nodi ad columbarum ovi magnitudinem inveniebantur, qui et ipsi accurate exsecabantur. Tum parvus summa in cicatrice nodus sectione, quae circulum imitaretur, circumdatus remotusque est, nec minus musculorum omnes partes, quae aegrotationis signum praeberent, exstirpatae. Hac quoque in operatione sanguinis profluvium parvum. Vulnus linteolis carptis impletum simplici fascia tegitur et tum glacies adhibetur. Deinde nobis placuit, si in ano rursus varices haemorrhoidales, de quibus diximus, se ostenderent, ibi hirudines admovere atque potius ut aegrotus aliquid consolationis caperet, quam unde nos eventum aliquem exspectassemus, ei praebere acidum silicium a viro illustrissimo Schuh probatum.

Tumorem perscrutanti rursus in incisura apparet color sufflavus, dura consistentia, et sub cultro auditur stridens sonitus. Microscopium rursus ostendit tumoris habitum sarcomatis imagini simillimum, quod his in rebus cernebatur: cellulae fusosimiles, quarum quidem nuclei clarissime adspiciuntur, quarum membrana tamen parum distat ab iis, quae membrana continentur, immixtae sunt telae fibrillosae, cujus tamen fibrae valde tenues maximam partem, quod demonstrari poterat, cum cellulis cohaerescunt. Intercesserat autem his clara ac plane aequa substantia.

Ordo fibrarum in nodis recentioribus perfacile cognoscitur. Omnes uno ex loco quoque versus diffunduntur, minus tamen eo, ubi maximum iis impedimentum resistere conjici potest. Una pars tumoris clare se praebet exstirpatis musculis contortam et ita quidem, ut tela parenchymatosa musculorum quam rapidissime augeatur, quae proprias musculorum partes, quas »Primitiv Fibrillen« dicimus, comprimat, contudat atque ad atrophiam perducat. Quae atrophia vera est et a degeneratione adiposa, quae sequi solet compressionem, ita differt, ut vacui et complicati culei, quorum est vasorum capillarium forma saccolemmatis, paucis nucleis nucleolisque sint completi.

Sanatio vulneris etiam nunc bene procedebat sine ulla interpellatione brevi tempore. Mox operatione facta, nauseae doloresque capitis iterum apparebant, quae celeriter praeteribant. Etiam febris lenis erat a die XVI usque ad diem XVIIII mensis Decembris quo tempore semper glacies est adhibita Quum deinde cataplasmatis utebatur, praecipue in mutatione fasciarum applicatarum permagnus dolor marginum vulneris iterum rediit, locis circumjacentibus non inflammatis, quare iterum decoctum fol. Hyoscyami est applicatum. Jam die XXII mensis Januarii, quum vulnus bona esset granulatione, aegrotus domum dimitti potuit, ubi constanter per complures hebdomades acidi silicii utebatur granis duobus, ter quotidie.

VII.

Aegrotus dimissus constanter quaque hebdomade in clinico se praestitit et vulnus sine interpellatione cicatricem

trahebat. Haec tamen res valde erat suspiciosa, in imis enim partibus veteris cicatricis radiatae plica exstitit, cujus forma erat sacculi, quae plane erat oedematosa. Quod oedema sine ulla causa ortum nihilominus abibat, sed clare cerni poterat, paullatim durius factum neoplasmati cedere. Quum post sex hebdomades vulnus fere cicatricem traxisset, aegrotus nodi formationem iterum animadvertit qui sub priori nodo erat et octo diebus magnitudinem ovi gallinae aequabat. Cujus quidem superficies satis erat levis, simulque elastica iterum et firma consistentia et ad cicatricem tegentem et ad partes, quae infra erant, plane moveri poterat. Tumorem recidivum, qui tam celeriter iterum redibat et tam celeri erat explicatione prognosin certe turbare et a quaque operatione retinere oportuisse, facile intelligi potest; exstirpatio tamen decreta, die II mensis Martii a. MDCCCLX ita est facta:

Seminularibus sectionibus parte durata circumsecta, hisque longius productis nodo nudato et cicatricis pars et nodus cum musculis circumjacentibus caute cultro et forfice ita removentur ut fascia, quae scapulae musculos obtegit, optime conspici possit. Tumoris inspectione et musculorum partium idem inveniebatur, quod ante sex hebdomades. Etiam in parte cicatricis duratae multis fibrillis telae cellulosae inclusae cellulae fusosimiles conspiciebantur, quas antea diximus.

Sanatio hujus vulneris mox fiebat, postquam aegrotus per nonnullos modo dies in clinico fuit, sine ullo casu et iteratione. Post operationem ne febris symptomata quidem exstitebant, sed mox bonae et firmae granulationes fiebant,

superficialibus mortuis partibus detrusis, quae primo cataplasmatibus adhibitis, deinde unguento ex argento nitrico parato sex hebdomadibus firmam reddebant et levem cicatricem. Ex eo tempore i. e. post quinque fere menses aegrotus nullum habet tumorem recidivum, bona utitur valetudine, specie florida, magnopere sperat, se plane a morbo esse liberatum.

VIII.

Epicrisis.

Hic consideratione dignissimus casus, cujus contemplatio fortasse non ad finem perducta esset, haec probat praecepta:

1) Sarcoma eodem apparet quo carcinoma cum pluribus formis, in quibus praecipue fibrosae, cellulosae gelatinosae animadvertendae sunt. Quae quidem tres formae et inter se ipsas iterationes sequuntur et in diversis nodis simul conspiciuntur et interdum omnes separatae unum reddunt tumorem, sive confluunt ex formationibus primo diversis sive hae formae diversae simul existunt aut forma cum forma sine interpellatione se conjungit. Quae quum ita sint, tumor quintus hujus casus certe cellulosum sarcoma est habendus, sextus autem et septimus plane fibrosum reddunt. Quartus deinde tumor, omnium maximus modo sarcoma est declarandus, quum omnes tres formae simul existant. In parte dura ejus, quae ad columnam vertebrarum porrigebat, plane formatio fibrosa conspici poterat, in ceteris autem partibus forma cellulosa cum gelatinosa se conjungebat.

2) Causa tumorum hujus generis, qui semper redeunt, modo est localis. »Sarcosis« quae respondeat »Carcinosi« non est probanda. Iteratio tumorum ita esset declaranda. In loco iterationum multarum impedimentum nutritionis est locale, quum matrix quae producit tumores, satis quidem habet nutritionis liquoris, perversa formatione ex hoc plasmati plane formatas telas praebere non possit, sed quum recta formatio cellularum luxurie retineatur, tela fibrillosa celerrime quidem et magno numero procedit tamen immatura, tali luxurie tumorem reddit. Ita quidem neoplasmata prima, sextum septimumque sunt declaranda. Hoc modo parvus nodus supremae cicatricis partis in sexto neoplasmati atque tumor, qui ex plica primo oedematosa, orti esse viderentur. Quae sententia eo probatur, quod tumores quidem omnes erant in scapula, raro tamen eodem loco iteratio, ubi prior erat. Primi enim tumores recidivi semper magis ad imum pertinebant, ut in quarta operatione super tumorem cicatrix magna tertiae operationis inveniretur, ceteri autem tumores magis ad humerum vergerent. Quam sententiam nodus ille parvus sexti et tumor cicatricis septimi neoplasmatis certissime demonstrant, ea enim ex tela jam infiltrata exisse putari non potest, quum eorum explicatio ex ipsa tela cicatricum neque ex sarcolemmate substantiae musculorum procederet. Etiam alio modo formatio complurium tumorum recidivorum et praecipue quinti verisimile infiltratione cellularum sarcomatis ut partes, de quibus diximus, sanae esse viderentur, deinde autem tumorem recidivum redderent. Tumor enim permagna luxurie cellularum et longiore productione fit fibrillosae telae. Cellulae autem non solum in tumore ipso inveniuntur, sed etiam inclusae musculorum fibrillis, ut in

musculorum partibus, quae simul exsecatae erant, in quarto tumore apparerent. Partes autem ita infiltratas, quamquam plane sanae esse videbantur, relictas esse putari potest, ex quibus postea continua productione cellularum tumores recidivi existerent. Hoc modo quinti tumoris formatio qui et ipse ex prima cicatrice, quae orta erat, declaranda esset.

3) Diagnosis sarcomatis et carcinomatis interdum modo ita fieri potest, ut per tempus longum consideretur, quomodo tumor procedat neque semper microscopio solo aut ex symptomatibus certa diagnosis constitui potest. Ut enim in natura diversae animalium plantarumque species non certe discerni possunt, sed discrimen vix sentitur, ita neoplasmata saepe non accurate finibus discribi possunt, i. e. forma benigni et maligni tumoris non tam acriter cerni potest. Itaque non esset laudandum, si quis nimia levitate uteretur et benignum tumorem in malignum transiisse constitueret, sed melius esset, si errorem diagnosis concederet, praesertim quum postea tumor benignus putari posset et id quod microscopio inveniretur, sarcomate declarari posset. Tale erat neoplasma quod ante descripsimus, quum enim tumoris quarti omnia symptomata acerrime fungum medullarem probari viderentur, quod microscopium optime constituebat, attamen ex contemplatione per complures annos facta, quomodo procederent et quales essent iterationes recidivi tumor summo jure putandus est sarcoma.

4) Admirabilis est hoc in casu celeberrima formatio et bonarum et firmarum granulationum, quae raro luxurientes fiebant; sed plurime firmae manentes brevi tempore, sex

usque decem hebdomadibus ad cicatricem pervenerunt, quamquam sanationem trium priorum vulnerum operatione factorum, duos, tres vel quinque menses durasse aegrotus dixit; qua differentia, quam gravis therapia post operationem sit, satis ostenditur. Aegrotus post tres priores operationes non diutius quam quatuor dies domi mansit et tum sine mora negotia exsequi solitus est, post quatuor sequentes operationes diu quiescere et a negotiis se abstinere debuit. Glacies adhibita est, quam diu aegroto jucundum erat et tum cataplasmata, dum unguentis excitantibus factum est, ut vulnus cicatricem traheret. Ita partim formatio bonarum granulationum quieti, frigori et denique calori humido est adscribenda, partim certo nutritio et bona aegroti valetudo bonam sanationem effecerunt; nam in homine cachexia vexato aut in summa rerum inopia vivente vel diligentissima therapia post operationem vulnus tam celerem fereque mire bonam cicatricem non traxisset.

Vita.

Natus sum Julius Johannes Arminius Riemer, confessioni catholicae addictus, Baldenburgi, in oppidulo Borussiae occidentalis die XII mensis Martii anni MDCCCXXXVII patre Michaelo, matre Ulrica, e gente Grundies, quos adhuc vivos veneror. Primis litterarum elementis imbutus in schola Friedlandensi gymnasium Conitziense, quod tum sub beati Brüggemann directoris illustrissimi auspiciis florebat, per annos septem frequentavi. Maturitatis testimonium adeptus auctumno anni 1856 *illam Gryphiswaldensem universitatem adii, ubi a prof. ill. Schoemann illo tempore rectore magnifico in numerum civium academiae receptus apud professorem ill. Haeser, decanum spectabilem, nomen dedi albo medicorum. Sed anno uno post hanc almam Albertinam petii et a professore ill. Cruse, prorectore magnifico, in civium numerum receptus a prof. ill. Rathke, illo tempore decano spectabili in album medicorum inscriptus sum. Tum per semestria octo me docuerunt:*

1) Gryphiae: encyclopaediam et methodologiam medicam ill. Haeser; physicen ill. de Feilitsch; botanicen et generalem et specialem, zoologiam ill. Muenter; logicen beat. Stiedenroth; psychologiam ill. Baier; chemiam experimentalem et analyticam, mineralogiam, geologiam et geognosiam ill. Huenefeld; splanchnologiam, myologiam, anatomiam comparatam, artem cadaverum rite secandorum

ill. Schultze; physiologiam, histiologiam, historiam evolutionis, osteologiam et syndesmologiam, angiologiam, neurologiam, artem cadaverum rite secandorum ill. Budge.

2) Regiomonti: anatomiam comparatam, de animalibus radiatis ill. Rathke; artem cadaverum rite secandorum ill. Burdach; pathologiam generalem et anatomiam pathologicam ill. de Wittich; materiam medicam artemque formulas medicas rite concinnandi ill. Cruse; artem auscultandi et percutiendi ill. Hirsch; pathologiam et therapiam specialem ill. Möller; artem obstetriciam et theoreticam et practicam ill. Hayn; chirurgiam, aciurgiam, artem operationum in cadaveribus instituendarum, luxationes et fracturas, pathologiam organorum uropoëticorum et genitalium virilium, doctrinam de neoplasmatis et integumenti ill. Wagner; artem fasciarum rite applicandarum, pathologiam chorioideae et retinae, medicinam forensem ill. Burow; opthalmologiam, artem operationum in oculis instituendarum ill. Jacobson.

Praeterea his interfui scholis: Clinico medico duce ill. Hirsch; policlinico medico duce ill. Möller; clinico chirurgico duce ill. Wagner; policlinico chirurgico duce ill. Burow; clinico obstetricio duce ill. Hayn; clinico opthalmiatrico duce ill. Jacobson et auscultans et aegrotorum curam in me suscipiens.

Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias ago quam maximas, semperque agam.

Jam vero tentamine philosophico necnon examine rigoroso rite absolutis, spero fore ut, dissertatione publice defensa, summi in medicina et chirurgia et arte obstetricia honores in me conferantur.

